



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

9 Vtrùm promissioni vel donationo iam acceptatæ possit apponi aliquod onus, vel impositum tolli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

quia reuera nihil promisit, sed simulauit se promittere, ex qua simulatione nihil incommodi puella obuenit. quod si talis à Iudice rogetur an promiserit, poterit negare etiam cum iuramento; quia reuera non promisit. quod si per sententiam Iudicis iubeatur promissum implere, debet parere; si non parendo timeretur scandalum: alioquin non tenebitur. quare potest vertere solum, ne cogatur sententiae in falsa praesumptione fundatae morem gerere, vt in simili docet Sotus lib.7. quaest. 1.a. 2.

DVBITATIO IX.

Vtrum promissioni vel donationi iam acceptatae possit apponi aliquod onus, vel impositum tolli.

62 **D**ico Primò, Ante acceptationem promissionis vel donationis, potest onus imponi. vt si dem tibi domum vel agrum sine onere, priusquam acceptes, possum imponere onus, vt mihi vel alteri tenearis inde soluere aliquam pensulam annuam, vel post certum tempus restituere. ratio est, quia potest tota reuocari: ergo multò magis onus imponi.

63 **D**ico Secundò, Post acceptationem non potest vllum onus imponi absque consensu promissarij. Ita Couarruias lib. 1. variar. cap. 14. n. 1. ratio est; quia iam consecutus est ius ad rem sine onere; ac proinde sine onere est ei debita. habetur expressè L. Perfecta. 4. C. de donat. quæ sub modo. *Perfecta donatio condiciones postea non capit.*

64 **D**ico Tertio, Si acceptes donationem cum onere in fauorem tertij appposito, ille tertius hoc ipso acquirit ius vt illud onus ei praestes. quod ius transit ad ipsius heredes: est tamen hoc ius reuocabile à donatore vsque ad tempus, quo onus est implendum, nisi fuerit à tertio acceptatum. Ita docet Couarruias num. 3. & 11. Iulius Clarus §. Donatio, q. 13. n. 5. Prior pars colligitur aperte ex L. Quories. 3. C. de donat. quæ sub modo. Altera colligitur ex L. Eum qui. 4. r. Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt. vbi significatur à contrario sensu, in potestate venditoris, qui grauenam in fauorem tertij apposuit, esse, illud reuocare ante tempus quo erat implendum. Idem colligitur ex L. 1. & vltima, C. Si mancipium ita fuerit alienatum, &c.

65 **S**ed dubium est, Vtrum sit reuocabile à donatore, postquam tempus aduenit. v. g. dedi tibi domum cum onere, vt post quinquennium cae cedas Petro: transactum est quinquennium: nondum cessisti, nec Petro quidquam significatum: vtrum possim te hoc onere liberare, vel domum meam repetere, vt mihi seruem.

Resp & Dico Quarto, Etsi probabile valde sit, tunc non posse amplius reuocari; tamen contrarium quoque est probabile, nempe posse reuocari à donatore, donec ipse vel alius nomine ipsius acceptauerit quod in ipsius fauore est constitutum, vel donec coeperit impleri. Priorem partem tenet Clarus n. 5. multiq; alij, quos ipse refert. & videtur colligi ex d. L. Quories 3. C. De donationibus quæ sub modo, vbi corrigitur Ius vetus, quo post tempus elapsum, si onus appositum in fauorem tertij non erat praestitum à donatario, concedebatur vt à donatore & ab heredibus eius posset reuocari.

Potest onus illud tolli ante acceptationem tertij.

Alteram partem tenet Couarruias num. 13. & Bartol. in L. Qui Romæ. 122. §. Flauius. num. 1. de verborum obligationibus. ratio est, quia donatio ante acceptationem non est valida: ergo tertius ille non acceptauerit eam per se vel alium, poterit reuocari. Nec obstat d. L. Quories: quia ad eius interpretationem satis est vt heredes donatoris non possint eam reuocare, & vt illi tertio competat actio in donatarium, volente donatore: non autem donatore nolente & reuocante onus impositum.

Aduerte tamen, si tertius ille, in cuius fauorem onus impositum est donationi, sit ciuitas vel causa pia, statim atque fuerit acceptata à donatario, acquirit ius irrevocabile ad actionem in rem: vt patet ex L. vt inter. 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis, & docet Couarruias num. 14.

68 **D**ixi, *Posse reuocari à donatore*; quia ipsius heredes non possunt reuocare onus impositum, etiam si nondum sit impletum, nec tempus implendi aduenit. vt patet ex d. L. Quories, & docet Couarruias num. 17: estque sententia communis. Ratio est, quia eius est reuocare, qui donationem liberè fecit. vnde mortuo donatore, onus illud fit irrevocabile. Similiter fit irrevocabile, quando coeperit impleri; quia tunc censetur ille tertius acceptasse, qui enim rem donatam acceptat, satis acceptat ipsam donationem.

67 Ciuitas. Causa pia.

DVBITATIO X.

Quibus euentis promissio acceptata & antea valida desinat obligare.

69 **Q**uidam dicunt, eam desinere obligare, quando ita mutatur status rerum vel personarum, vt si promissor hanc mutationem praecogitasset, nolisset promittere vel donare. Ita Nauarr. c. 18. num. 7. & quidam alij. quæ regula in multis casibus est idonea; praesertim quando promissio vel donatio facta est homini. In quibusdam tamen factis Deo, habet difficultatem. multi enim vouent castitatem vel Religionis ingressum, non praecogitantes difficultates obuenturas, quas si prauidissent, nolissent promittere, vt ipsimet testantur: tamen omnium iudicio manent obligati; nam debebant hæc omnia praecogitare, & iuxta monitum Saluatoris, sedere & computare sumptus, qui ad turrim euangelicam extruendam sunt necessarii. vnde si non fecerint, sibi impudent. reuerentia enim diuinæ Maiestatì debita postulat, vt promissio impleatur secundum eum sensum, eamque mentem, quam promissor reipsa habuit explicitè vel implicitè, dum promitteret; non autem secundum eam quam habuisset, si hæc vel illa praesciuisset. Id tamen in promissionibus homini factis non est necessarium, quia hæc facilius reuocantur. vide infra c. 40. dub. 2.

Promissio facta Deo.

70 **R**esp, igitur, Faciliori modo hanc rem explicari posse, si dicamus promissionem desinere obligare, Primò, Si res promissa fiat illicita, vel iniurialis, vel impossibilis. Ita Caietanus q. 113. art. 1. sub finem, & alij Doctores communiter.

71 **S**ecundò, Si status rerum vel personarum ita mutetur, vt promissor secundum iudicium prudentum non videatur illi euentum voluisse comprehendere: quod ex conditione rei promissa, promissio

Quibus euentis desinat obligare.